

de annulis qui erant in summitate craticulæ illos *pones subter arulam altaris*. Atqui si craticula fuisset super altare, vel saltem in ejus cavitate, et arula infra craticulam, non potuissent isti annuli esse infra arulam; ergo, etc.

R. 1. multo minus posse dici, quod annuli fuerint subter sive infra arulam, si craticula extra, et arula fuerit intra altare.

Nec reponas, quod dicantur fuisse subter arulam, quia erant humiliores, sive viciniore terræ, quam arula: nam 1. res humilis non dicitur esse subter rem altam sibi vicinam; sic domus humilis Petri, v. g., non recte dicitur ædificata infra domum Joannis quæ est alta; 2. annuli illi erant in quatuor summitatibus (id est extremitatibus) craticulæ, sive retiaculi, ut dicitur cap. XXXVIII, 5: jam autem juxta Abulensem annuli illi non erant in inferiori, sed in superiori parte craticulæ: et consequenter cum juxta ipsum et alios istius opinionis patronos, craticula alta esset usque ad medium altaris, etiam inde patet quod annuli craticulæ pariter usque ad medium altaris pertingerent. Atqui arula quoque erat præcise in medio altaris, ut dicitur cit. cap. XXXVIII, 4: ergo annuli non fuissent humiliores, sed ejusdem præcise altitudinis cum arula. Interim directe ad argumentum propositum.

R. 2. craticulam et arulam fuisse verisimiliter quasi unum opus, ita ut arula esset affixa craticulæ quibusdam laminis æneis, penderetque infra craticulam uno circiter cubito cum dimidio. Cum autem totum illud opus esset quadratum, annuli illi erant in quatuor angulis seu extremitatibus inferioribus craticulæ, et sic recte dicuntur fuisse subter arulam.

Inst. I. Si isti annuli fuissent ita positi, non potuissent altare istis annulis portari; atqui altare debebat portari vectibus per istos annulos immissis; ergo.

Prob. min. Quia non leguntur fuisse alii vectes et alii annuli quam hi ad portandum altare. Item hic *ÿ. 6* aperte dicitur tantum fuisse duos vectes; ergo, etc.

R. Neg. min. Nam altare habebat suos annulos, qui loco cit. vocantur circuli: dicitur enim *ÿ. 6* et *7: Facies et vectes altaris* (non dicit craticulæ) *de lignis setim duos... et induces per circulos, eruntque ex utroque latere altaris ad portandum*. Item c. XXXVIII, 7 vectes dicuntur inducti *in circulos qui in lateribus altaris eminebant*... Ergo altare habebat suos circulos, et craticula suos annulos.

Verum quidem est, quod hic *ÿ. 6* tantum fiat mentio de duobus vectibus, sed non negatur fuisse plures: quin imo aliquo modo insinuat fuisse duos ad portandum altare, et duos ad portandum craticulam cum arula: nam dicit Scriptura quod craticula habuerit quatuor annulos, et quod altare habuerit quatuor circulos ad immittendum vectes.

Inst. II. Isti annuli erant iidem cum circulis altaris, nam hic *ÿ. 6* et *7* dicitur, vectes esse inducendos per circulos altaris, et cap. XXXIII, 5, 6 et 7, dicitur, vectes illos fuisse immissos per annulos crati-

culæ: *Fusis quatuor annulis per totidem retiaculi summitates ad immittendum vectes ad portandum, quos et ipsos fecit de lignis setim... induxitque in circulos, qui in lateribus altaris eminebant*. Ergo illi annuli erant iidem cum circulis altaris; nam alias non potuissent illi vectes simul immitti per annulos retiaculi, et per circulos altaris.

R. 1. Illud non posse objici ab illis, qui putant craticulam fuisse distinctam ab altari, et quasi sepe illi fuisse circumdatam ad arcendum populum: nam hi eadem difficultate premuntur. Sed cum communiter sustineant fuisse quasi unum opus cum altari,

R. 2. Neg. assumpt., et ad prob. dico sufficienter exprimi annulos craticulæ fuisse distinctos a circulis altaris, dum Scriptura dicit annulos fuisse in summitatibus craticulæ, et circulos in lateribus altaris; et consequenter locus objectus nobis nequaquam obest, sed potius favet.

Obj. II. In textu hebræo legitur: *Et facies ei cribrum opere reticulato æneum, et facies super reti quatuor annulos æris super quatuor extremitatibus ejus; et pones illud subter ambitum altaris, de infra et erit rele usque ad medium altaris*. Ergo craticula non erat immissa in cavitationem altaris; sed erat posita circum circa altare, infra ejus ambitum seu circumferentiam.

Respondent aliqui, quod, cum in textu hebræo nulla fiat mentio de arula, sed ejus loco ponatur ambitus, dicendum sit per ambitum intelligi arulam, in cujus extremitatibus inferioribus erant quatuor annuli. Unde ad hunc textum respondent, quod cribrum seu craticula esset subter ambitum seu arulam, quia nempe quatuor anguli inferiores, in quibus ponebantur annuli, erant subter arulam, ut dictum est ad Obj. I. Attamen cum, uti ex Prob. I liquet, potius arula fuerit infra craticulam, quam craticula infra arulam, melius videtur

Respondendum 2: quod craticula fuerit subter ambitum, id est coronam altaris, nam apud LXX legitur quod hoc altare habuerit coronam; ac proinde sensus textus hebræi videtur esse hic: Rete sive craticula erit infra ambitum seu coronam, et perveniet usque ad medium altaris. Sed inde nequaquam sequitur, quod propterea fuerit circum circa altare: quandoquidem æque esset subter ambitum seu coronam in nostra sententia, ac in opinione contraria.

Obj. III. Ex nostra sententia sequitur. 1. Quod victimarum carnes cremandæ, non fuerint posite super ligna, sed super ipsam craticulam: nam ligna ponebantur super arulam, et sic flamma transiens per foramina craticulæ cremabat carnes in craticula positas. Atqui tamen Lev. I, 7 et 8, dicitur, quod ligna debuerint poni super altare, et carnes super ligna; ergo.

Sequitur 2. quod debuerit fuisse aliqua fenestra in altari, per quam ligna super arulam ponebantur; nam per partem superiorem eo immitti non poterant, quia craticula impediabat; atqui de illa fenestra nulla fit mentio in Scriptura; ergo.

R. Neg. primam sequelam, nam ligna quidem mittebantur in arulam, quia nempe debebat ignis ille semper ardere, ut dicitur Lev. VI, 12: sed cum hoc simul stat, quod fuerint alia ligna posita super craticulam in superficie altaris, et super illa carnes victimarum: atque hinc patet, posse admitti fuisse fenestram, sive ostium, per quod ligna mittebantur in arulam. Illam admittit ven. Beda loco supra cit. immediate subjungens: *Erant autem contra arulam ostium in parte orientali altaris, quo ligna ad atendum ignem mitti, et carbones possent egeri, sicut in pictura Cassiodori senatoris expressum videmus; quod eum ex Judæorum doctoribus didicisse putamus*. Idem sustinent Richardus a S. Victore, A Lapide, et Jansenius.

Qui tamen nollet fenestram admittere, posset respondere, 1. quod ligna super craticulam ponerentur, et arula non esset facta ad nutriendum ignem, sed ad excipiendos cineres. 2. Quod craticula cum arula posset extrahi, et tunc imponi ligna. Hæc tamen responsio non caret difficultate, quia difficulter potuisset illa craticula tam sæpe extrahi, cum fere semper esset ignita; nam Lev. VI, 12, dicitur: *Ignis autem in altari meo semper ardebit*.

Obj. IV. Hic *ÿ. 5* dicitur: *Eritque craticula usque ad altaris medium*. Et infra cap. XXXVIII, 4, dicitur arula fuisse in medio altaris. Atqui impossibile est, ut craticula fuerit in medio altaris ad intra: nam ibi erat certo arula, et craticula non erat ubi erat arula, sed supra arulam; ergo dicendum est, quod craticula fuerit extra altare usque ad medium ejus, paulo tamen altius quam arula.

R. Neg. min. nam cum, ut supra dictum est, craticula et arula fuerit quasi unum opus, recte dicitur craticula fuisse usque ad medium altaris, quandoquidem arula, quæ secundum se totam in medio erat, inferioribus craticulæ partibus affixa foret.

CAPUT XXVIII.

Describuntur vestes pontificis aliorumque inferiorum sacerdotum.

QUÆSTIO I. — DE PRIMA VESTE PONTIFICI PROPRIA, DICTA SUPERHUMERALE.

Nota 1. Vulgarium sacerdotum vestimenta quibus in tabernaculo ministrabant, erant hæc: 1. femoralia linea, seu byssina; 2. tunica talaris etiam linea, seu byssina; 3. corpori decenter aptata zona, seu baltheus; 4. cidaris, seu thiara in capite, quasi pileus e bysso, instar mediæ spheræ, per vittam occipitio adstrictus.

Nota 2. De cidari dixerat quidem S. P. Aug. Q. 123 in Exod. *Puto non esse capitis tegimen, ut nonnulli putaverunt; attamen Q. 81 in Levit. admisit esse ornatum capitis: ita enim loquitur: Nudare autem cidari... detractio est ornamenti*. Præter hæc quatuor omnibus sacerdotibus communia, habebat pontifex alia quatuor sibi propria:

1. Tunicæ lineæ albe superinduebat aliam tunicam fere talarem, sed hyacinthinam, cum tintinnabulis et

malis puniceis; 2. zona altera nobiliori vestem hæc hyacinthinam adstringebat; 3. induebat superhumemale, quod erat vestis extima et pretiosissima, habens in medio rationale judicii; 4. gestabat laminam auream in fronte.

ÿ. 6: Facient autem (scilicet artifices periti, quos Deus repleverat spiritu prudentiæ, ut dicitur *ÿ. 5*) *superhumemale de auro et hyacintho, et purpura coccoque bis tincto, opere polymito*. In hebræo pro superhumerali habetur *ephod*, quod derivatur a verbo *aphad*, quod idem denotat ac *cinxit* vel *superinduit* vel quia arcitudine sua, instar thoracis, cæteras vestes cingebat atque constringebat, vel quia omnibus vestibus sacerdotalibus superinduebatur. *Opere polymito*, id est, opere variorum colorum et liciorum: erat enim ephod pontificis textum ex stamine byssine, et subtegmine tricolori, videlicet hyacinthino, cocineo, et purpureo, intermixtis filis aureis.

Præter hoc, erat aliud ephod lineum purum, quo utebantur inferiores sacerdotes: tale erat ephod octoginta quinque sacerdotum a Saule occisorum I, Reg. XXII, 48: tali etiam utebantur levite, ut ex Samuelis historia constat I Reg. II, 48: tali etiam usus est David saltans ante arcam: unde et laicis usitatum. Hoc tamen, ut distinguatur ab ephod pontificis, vocatur *ephod bad*, id est lineum.

ÿ. 9: Sumesque duos lapides onychinos, et sculpes in eis nomina filiorum Israel. Quod hic omisa fuerint nomina *Levi* et *Joseph*, et eorum loco insculpta nomina *Ephraim* et *Manasse*, contra Abulensem putant Menochius, Jansenius, et A Lapide, qui pro hac sententia citant Josephum. Rationem assignant, quod Ephraim et Manasses loco Josephi successerint adoptati in filios ab avo Jacobo Gen. XLVIII, et quod pontifex per se suam tribum Levi satis representaret.

ÿ. 10: Sex nomina in lapide uno, et sex reliqua in altero, juxta ordinem nativitatis eorum. Unde in dextro humero, tanquam in digniori, erant seniores, Ruben, Simeon, Judas, Dan, Nephtali, Gad: in sinistro juniores, Azer, Issachar, Zabulon, Ephraim, Manasses, Benjamin.

Ratio cur ista nomina, jam dictis lapidibus insculpta, jussus sit portare pontifex in humeris suis, assignatur dum dicitur *ÿ. 12: Et pones in utroque latere superhumeralis, memoriale filiis Israel*. Primo scilicet, ut meminissent pontifex ac populus fidei probæque vitæ duodecim patriarcharum, eorumque præclara gesta imitarentur. Secundo ut pontifex recordaretur in orationibus duodecim tribuum, quæ ex illis patriarchis erant prognatæ; unde et *ÿ. 12* additur: *Portabitque Aaron nomina eorum coram Domino super utrumque humerum, ob recordationem*. Unde et hebraice lapides memoriæ seu recordationis vocantur: Aaron siquidem eos gestabat, ut per patrum merita, in memoriam revocata, oraret pro filiis, et Deus patrum nomina intuendo, etiam quodammodo recordaretur filiorum. Tertio ut meminisset pontifex, et pectore seu in rationali, et humeris portandum populum; pectore per amorem et charitatem, hume-

ris per tolerantiam earum molestiarum quæ pontificalem curam comitantur : ut sic humeris patientiæ et consolationis infirmitates atque imperfectiones populi supportaret.

QUÆSTIO II. — CUJUSMODI FUERIT RATIONALE JUDICII, QUOD PONTIFEX SUPRA PECTUS GESTABAT.

Vers. 15 : *Rationale quoque iudicii facies opere polymito.* Hæc est secunda vestis pontifici propria, aut potius pars primæ, scilicet superhumeralis sive ephod, omnium sacratissima. Dicitur autem *rationale*, quia pontificem et populum adinonebat eorum, quæ summa prudentia et ratione ipsis in suo officio, sacrificiis, et sacerdotio consideranda erant quæque significabantur per nomina filiorum Israel, item per *doctrinam et veritatem*, quæ in rationali posita erant. Ita vult Menochius et nonnulli alii.

Sunt etiam qui ita appellatum putant, quia rationale hoc dabat oracula, quasi mente aut ratione provida et prophetica præditum foret; unde rationale posset et *vocale et verbale* appellari, inquit A Lapide : utrumque enim significat *λογιον*, *logion* (quo nomine appellatur a Græcis) ut observat S. P. Aug. Q. 116 in Exod., ut proinde ait : *Incertum utrum a «ratione» an a «verbo» dictum fuerit : interpretes nostri a «ratione» dictum putantes «rationale» appellaverunt.*

Dicitur autem *rationale iudicii*, scilicet partim *humani*, partim *divini* : humani, hoc est debiti et officii sacerdotis ac populi, cuius eos admonebat : divini, quia pontifex rationali indutus, de rebus dubiis consultabat Deum, Deus vero voce aliqua, vel interna vel externa, oraculum aut responsa dabat; quod oraculum sententia et iudicium Dei erat.

ŷ. 16 : *Quadrangulum erit*, id est, æquilaterum ex omnibus partibus, et *duplex*, id est, suffultura duplicatum, ut facilius sustinere possit pondus gemmarum; ut explicat S. Hieron. epist. 128 : *mensuram palmi habebit* (id est, spithamam sive 12 digitos) *tam in longitudine quam in latitudine.*

ŷ. 17 : *Ponesque in eo quatuor ordines lapidum.* Siquidem rationali intextæ erant duodecim pretiosæ diversi generis gemmæ, et cuique gemmæ insculptum nomen unum duodecim patriarcharum vel tribuum Israel. Naturam et qualitates istorum duodecim lapidum erudite exponunt Marius, Jansenius, et A Lapide, qui et mysticam harum gemmarum significationem assignant.

QUÆSTIO III. — AN IN RATIONALI JUDICII FUERINT CHARACTERIBUS EXPRESSA DOCTRINA ET VERITAS.

Vers. 30 : *Pones autem in rationali iudicii doctrinam et veritatem.* In hebræo habetur *Urim et Thummim*, id est, *illuminationes et perfectiones* : sunt enim Hebræis vocabula pluralis numeri, ut multitudinis nomine significetur summa illuminatio et perfectio, id est, doctrinæ splendor et vitæ integritas, quo pontifex populum illuminare, erudire, et hoc pacto perficere teneatur.

Paraphrastes chaldæus integra reliquit hebræa

vocabula *Urim et Thummim*; LXX Græce posuerunt *δελωσιν καὶ ἀληθειῶν delosin et aletheian*, id est, *manifestationem et veritatem.*

Porro quid sibi hoc velit, vel in quali re vel metallo poneretur super rationale demonstratio et veritas... invenire difficile est, inquit S. P. Aug. Q. 117 in Exod. atque hanc quæstionem gravem admodum vocat A Lapide; quod satis patet ex diversis octo sententiis ab ipso adductis, quibus super hac re auctores inter se divisi sunt. Omissis cæteris, tres duntaxat magis famosas opiniones hic proponemus.

Itaque putant Lyranus, Serarius, Abulensis, Bonfrerius, Tornielus ipsas duodecim gemmas rationali infixas *Urim et Thummim* vocatas fuisse, quatenus per illarum insolitum splendorem, vel aliam notabilem mutationem, Deus oracula reddebat consulentibus, ita docens seu illuminans illos, ac perfectam veritatem manifestans.

Auctor Enchir. Script. cum nonnullis aliis existimat, *Urim et Thummim* nihil aliud fuisse, quam ipsum nomen Dei tetragrammaton, pretiosæ cuidam laminæ, vel alteri materiæ insculptum, et intra rationale, quod juxta ipsos erat instar marsupii, cui apud nos imponitur corporale, inclusum. Attamen

R. et dico : Longe verisimilius est, characteres illorum verborum *Urim et Thummim*, id est doctrinam et veritatem, scriptos fuisse in rationali, sive in medio gemmarum, ut vult Tirinus, sive ad latera duodecim lapidum acui picta filis aureis, vel tenui laminæ insculpta, ut volunt alii.

Prob. I. Quia hic est planus et simplicissimus sensus verborum Scripturæ : nam illo ŷ. 30 plane indicatur, aliquid distinctum præscribi a præcedenti ornatu gemmarum, dum dicitur : *Pones autem in rationali Urim et Thummim.* Quippe *et autem* novum quid et omnino diversum importat, quod in rationali poneretur. Sicuti ergo laminæ frontali insculpebatur *Sanctum Domino*, vel ut hebraice dicitur *Sanctitas Jehova*, uti habetur ŷ. 36 : ita simplex narratio postulare videtur, ut ŷ. 30 ad litteram præcipiatur inscriptio *doctrinæ et veritatis.* Idque, ait A Lapide, satis significat *he demonstrativum*, quod in hebræo additur et præponitur *Urim et Thummim*, quasi dicat, *et Urim et et Thummim* pones et scribes in rationali.

Prob. II. Quia quod de fulgore lapidum dicitur, erat insufficiens ad significandas eventuum circumstantias particulares, quas Deus consulentibus indicabat. Quis enim, inquit Tirinus, aut splendor aut alia immutatio potuit Davidi suggerere II Reg. V, et I Paral. XIV : *Ne ascendas contra Philisthæos, sed gyra post tergum eorum, ex adverso pyrorum; et cum audieris sonitum gradientis in cacumine pyrorum, tunc inibis prælium*, etc. Quod vero ab aliis dicitur de nomine Dei tetragrammato, illud quoque non videri admitendum, monstrabitur in solutionibus argumentorum.

Prob. III. Quia quod *possit intelligi demonstrationem et veritatem litteris impositam super logion* seu rationale, asserit S. P. Aug. Q. 117 in Exod. Quod vero de fulgore lapidum dicitur, merito fabulosum

videtur, Aug. inquit Jansenius. Verba S. Aug. Q. cit. sunt : *Fabulantur tamen quidam, lapidem fuisse, cujus color, sive ad adversa, sive ad prospera mutaretur, quando sacerdos intrabat in sancta.*

Quod doctrina veritas reipsa et inscripta fuerint rationali, cum Philone pariter docent Rupertus, Hugo cardinalis et Victorinus, Bellarminus, Menochius, Tirinus, Jansenius, A Lapide : quorum postremus etiam adducit S. Hieron. Greg. et Cyrillum tanquam huic faventes opinioni.

SOLVUNTUR ARGUMENTA. — Obj. I. Rationale erat valde parvum; ergo non videtur capere potuisse duodecim lapides, cum his characteribus.

R. Neg. conseq.; nam rationale ad hoc satis magnum fuisse, inde liquet, quod tam in longitudine, quam in latitudine haberet spithamam; potuisset ergo multo plures lapides capere. Deinde in rationali interstitium erat inter singulos ordines lapidum, ipsosque lapides, in quo facile exarari poterant hæc litteræ *urim et thummim*, non tantum minuscule, sed et magnæ ac conspicuæ.

Obj. II. Nulla fit mentio inscriptionis istorum verborum infra cap. XXXIX; ubi tamen fabrica superhumeralis et rationalis exacte describitur.

R. Hoc argumentum esse negativum, adeoque nihil ex eo concludi : etenim illo cap. tantum ea fere recensentur, quæ ad ingenium artificis Beseleel, vel ad materiam partesque fabricæ spectant. Talia autem sunt lapides, catenulae, veves, tabulae, etc., non autem scriptura vel textura duorum nominum, quæ non a Beseleel, sed a phrygione quopiam, vel phrygionissa contexta esse, est verisimile. Unde et multa alia compendii causa præterit ibidem Moyses, quæ fuse hic enarrat; ut patet de compositione olei et thymiamatis, cap. XXXVII : de modo inscriptionis nominum in lapidibus onychinis, cap. XXXVIII : et e contra quædam ibi suppleuntur, quæ hic subticentur; ut patet de speculis mulierum, ex quibus factum est latrum æneum, c. XXXVIII, 8. Non mirum ergo, *Urim et Thummim* subticeri et subaudiri infra cap. XXXIX, præsertim cum vice versa Lev. VIII, illa exprimantur, et subticentur gemmæ rationalis : *Rationale*, inquit, *aptavit in quo erat doctrina et veritas.* Ubi in rationali 12 ejus lapides per compendium intellexit, expressit verò et nominavit *doctrinam et veritatem*, quæ maxime sacerdotem ornare debent. Ita A Lapide.

Obj. III. Supra cap. XXV, 7, duodecim gemmæ rationalis in hebræo vocantur *abne millim*, id est lapides plenitudinum sive illuminationum; ergo *Urim et Thummim* nihil aliud videtur fuisse quam 12 gemmæ rationali infixæ.

R. Neg. conseq., quia loco objecto vocantur *lapides plenitudinum*, eo quod ipsis impleteretur quodammodo et ornaretur rationale : *lapides vero illuminationum* minime appellantur.

Obj. IV. Josephus III Antiq., c. 9, refert, has duodecim gemmas rationalis tempore belli solere fulgere, et fulgore suo prænuntiare victoriam Hebræis.

R. quod equidem Josephus non asserat, has duo-

decim gemmas fuisse *Urim et Thummim* : unde frustra ad ejus auctoritatem hic recurrunt auctores sententiæ oppositæ.

Præterea rei istius oculatus testis non est Josephus, quandoquidem ipse vixerit post mortem Christi, et *Urim et Thummim* diu ante cessaverint, scilicet a tempore quo domus Israel deportata est in Babylonem; ut ex infra dicendis patebit.

Obj. V. cum auctore Enchir. Script. Communis est Rabbinorum traditio, *Urim et Thummim* fuisse nomen Dei tetragrammaton, sive *Jehova*; atqui traditio rabbinorum est via satis tuta indagandæ veritatis, dum illa a suis figmentis et fabulis liberatur et expurgatur; ergo, etc.

Prob. maj., quia inter alios ita docet R. Levi Ben Gerson. *Moses*, inquit, *post insertos pectorali lapides pretiosos, jubetur eidem indere Urim et Thummim. Hoc facit nos credere, quod Urim et Thummim fuerint quidpiam, quod Moyses pectorali indidit, ad eum modum quo tabulas indidit in arcam, quia utrobique est eadem phrasis.*

R. 1. Neg. maj.; nam ut ipse auctor jam cit. fateatur, R. David, R. Salomon, R. Abraham Jeha, R. Aben Esra et alii fatentur se ignorare, quid proprie *Urim et Thummim* significet; ergo imprimis illimet ignoraverunt, quid proprie fuerint *Urim et Thummim.* Item Schindlerus in Lexico ait : *Rabbi sentiunt Urim et Thummim fuisse quædam scripturam, vel nominis Jehova, vel alterius rei, pectoralis duplo insertam.* Ex quibus verbis rursus liquet, quod ex traditione rabbinorum nequaquam constet, *Urim et Thummim* fuisse nomen Dei *Jehova*; siquidem tantum tradunt, quod vel hoc nomen vel altera res indita vel inserta fuerit rationali : ac proinde ex illa traditione rabbinorum (etiam supposito quod a figmentis et fabulis suis expurgari posset) non magis sequitur quod rationali insertum fuerit nomen Dei *Jehova*, quam nomen cujuscumque alterius rei, quod quilibet ad beneplacitum suum adstruere poterit. Itaque qualia nomina indita fuerint rationali, non ex illa traditione, sed ex Scriptura quæri debet.

R. 2. Etiam admissio, quod rabbi tradidissent, ipsummet nomen *Jehova* fuisse inscriptum rationali, inde adhuc nihil concludi : siquidem, cum juxta omnes certum sit, quod ista traditio omnino fabulosa sit, in quantum dicit ex diversa nominis tetragrammaton dispositione efformata fuisse nomina 12 tribuum; et hæc nomina prominuisse vel coivisse; ita ut sacerdos ex illis dictiones concinnare, et quæsitis respondere posset; quis dicet quod etiam non sit fabulosa in se, seu in quantum asserit nomen Dei *Jehova* fuisse inditum rationali? Ex quo capite patet, unum non esse æque fabulosum ac aliud? Sane, non obstante traditione rabbinorum, tanquam fabulosum et omnino fictum, jam communiter rejicitur, quod Abraham a Chaldæis in ignem coniectus, inde miraculose a Deo liberatus sit, eo quod nimirum hæc et similia alia nullum prorsus in Scriptura habeant fundamentum. Ergo pariter fabulosa et omnino ficta vi-

detur traditio rabbinorum de positione nominis *Jehova* in rationali, quia hæc similiter nullum in Scriptura habet fundamentum.

P. 1. cur Deus voluerit, ut pontifex supra pectus gestaret supra dictos characteres *Urim et Thummim*.

R. Ut admoneretur, 1. pectus suum implere veritate ut eam intelligeret; et doctrina ut eam doceret.

2. Ut illis characteribus præferret quasi privilegium sibi addictum a Deo, ut populus non quæreret oracula a dæmonibus, sed a Deo per summum sacerdotem. Ex quo fit, quod sæpe in sacris paginis legamus, Deum consultum fuisse per *Urim et Thummim*, vel per *ephod*; id est per summum sacerdotem rationali indutum. Hinc ubi Num, XXVII, 1. in textu nostro dicitur: *Eleazar consul et Dominum*, in hebræo habetur: *Interrogabit in judicio Urim coram Domino*. Et I Reg. XXVIII, 6, ubi nos habemus: *Non respondit ei* (scilicet Saûli) *Dominus*, neque in somniis, neque per sacerdotes, hebraice dicitur: *Neque in Urim*. Et I Esdræ II, 63: *Donec surgeret sacerdos doctus atque perfectus*, hebraice: *Sacerdos in Urim et Thummim*.

Causa allegorica fuit, ut pontifex *Urim* gestans, et oracula fundens, typus esset Christi summi pontificis, ejusque vicarii, qui per assistentiam Spiritus S. habet infallibilem auctoritatem, atque universalis Ecclesie administrationem circa decisiones in quæstionibus tam fidei quam morum.

P. 2. quandonam generaliter cessaverint oracula seu responsa per *Urim et Thummim*.

R. verisimilius esse, quod cessaverint ab eo tempore quo domus Israel deportata est in Babylonem. Et ratio hujus afferri potest, quod, ut bene reflectit Tirinus, hoc oraculi privilegium non ratione solius *ephod* aut *rationalis* iudicii competeret Judæis, sed simul etiam ratione *arcæ fœderis* seu *propitiatorii*: etenim coram arca, si nempe præsens esset, pontifex Deum consulere debebat, ut communiter fatentur omnes. Unde etiam *sanctum sanctorum* passim vocabatur *araculum*. Jam vero cum constet ex lib. II Machab., cap. II, 4, subductam fuisse arcam cum propitiatorio, Judæis in Babylonem transmigrantibus: verisimilius est, etiam hoc oraculi privilegium eodem tempore eisdem subtractum fuisse: atque id cum loco Esdræ supra cit. satis convenit, ait Jansenius.

Cap. XXIX præcipit Deus Moysi, ut Aaronem et filios consecraret sacerdotes: 1. eos lavando; 2. vestibus sacerdotalibus induendo; 3. offerendo vitulum pro peccato, et duos arietes, unum in holocaustum, alterum in hostiam pacificam; 4. diebus septem tam ipsos quam altare unguendo; denique præcipit jure sacrificium agni, tam mane quam vespere quotidie offerendi.

Hæc omnia nullam continent difficultatem, sed sola lectione facile apprehendi possunt. Itaque procedimus ad

CAPUT XXX.

Describitur altare thymiamatis; et quoties continget populum capitatum censeri, jubetur quisque solvere di-

midium siclum in usus tabernaculi. Agitur de labro æneo pro lotione sacerdotum, item de compositione olei sacri ad sacerdotum et sanctorum vasorum dedicationem, ac denique de compositione thymiamatis.

QUESTIO I.— QUALE FUERIT ALTARE THYMIAMATIS.

Resp. et dico, 1. Altare thymiamatis, ut liquet ex initio hujus cap., factum erat ex lignis setim inauratis, eratque longum cubito uno, et latum cubito uno, id est figura prorsus quadrata, ita tamen ut duos cubitos haberet in altitudine. Differabat ergo ab altari holocaustorum, de quo cap. XXVII, in multis. 1. In hoc altari non adolebatur nisi incensum: illud pro omnibus victimis inserviebat. 2. Illud erat multo majus, quia longe amplior capacitas requirebatur ad omnes victimas, quam ad solum thymiamata cremandum. 3. In altari holocaustorum ligna setim vestiebantur solo ære, in altari thymiamatis auro purissimo. 4. Illud erat extra tabernaculum in atrio, hoc autem in tabernaculo.

Voluit autem Deus hos odores sibi adoleri, non quasi thymiamatum odoratu delectaretur, sed cultu offerentium: thymiamatis enim et thuris oblatio, ubique gentium, divinis honoribus adhiberi solita fuit.

Dico 2. Altare thymiamatis idem fuit ac thuribulum aureum, de quo agit Apost. ad Heb. IX, 4.

Prob. I. Quia supra cap. XXV, Levit. XVI et III, Reg. VI, ubi exacte tota templi et tabernaculi fabrica describitur, nulla fit mentio alicujus thuribuli ordinarii, quod in vel saltem juxta sanctum sanctorum fuisset: atqui tamen aureum thuribulum, de quo Apost. loquitur, fuit in vel saltem juxta sanctum sanctorum; siquidem loco cit. de sancto sanctorum ait: *Aureum habens thuribulum*. Ergo restat quod aureum illud thuribulum fuerit altare thymiamatis.

Prob. II. Quia altare thymiamatis erat quasi magnum quoddam thuribulum, et concavum, in quo aromata incenderentur, et offerrentur Domino; ergo nihil repugnat quominus ab Apost. *thuribulum* vocetur.

Prob. III. Quia Apost. loco cit. exacte enumerat omnia vasa sancti, et sancti sanctorum; ergo non est verisimile, quod præstantissimum illud altare, quod tam nobili usui inserviebat, solum præterierit.

Prob. IV. Quia vox Græca *θυμιατήριον*, *thymiatèrion*, æque significare potest altare hoc, ac thuribulum ordinarium: ergo non est fingendum aliud thuribulum, cujus Scriptura nusquam meminit.

Ant. patet: quia vox illa significat idem quod *suffumigatorium*: unde et Josephus lib. III, Antiq. cap. 7, illud vocat *arcam suffumigatorem*.

Prob. V. Quia Moyses diversis locis describit omnia, quæ jussu Dei conficere debuit, et inferre in sanctuarium: atqui nullo loco dicit, quod sanctum sanctorum, vel etiam sanctum haberit aureum thuribulum; ergo nisi per aureum thuribulum Paulus intellexerit altare thymiamatis, meminit alicujus, quod Moyses non legitur confecisse.

Obj. I. Reverentia loci, et dignitas sacrificii thymiamatis exegisse videntur, ut aureo thuribulo sa-

cerdos uteretur, dum ingrediebatur in sanctum sanctorum; ergo fieri potuit, quod illud fuerit in sancto sanctorum usui solius summi sacerdotis conservatum.

R. quod reverentia illa non plus requisiverit, quam Deus voluerit: porro non videtur Deus voluisse sibi fieri tale thuribulum aureum; nam de omnibus vasis tabernaculi (adeoque et de vasis altaris thymiamatis) dictum videtur cap. supra XXVII, 5 et 19: *Cuncta vasa... ex ære facies*.

Præterea thuribulum, quo utebatur summus sacerdos dum ingrediebatur sanctum sanctorum, non asservabatur in ipso sancto sanctorum, sed extra in alio loco; siquidem illud thuribulum accipere et prunis altaris holocausti implere debebat, antequam ingrederetur sanctum sanctorum, ad ibidem incendendum thymiamata; ut liquet ex Levit. XVI, 12 et 13: ergo nullatenus dici potest, quod illud thuribulum fuerit in sancto sanctorum usui solius summi sacerdotis conservatum.

Obj. II. Non tantum thuribula ex ære, sed etiam ex auro, mandante Deo, fuisse confecta, patet ex cap. XXV, 29, ubi dicit Deus ad Moysen: *Parabis et thuribula ex auro purissimo*. Ergo saltem dici potest, quod per præfatum thuribulum Paulus intellexerit thuribulum usuale, quo in die expiationis summus sacerdos adolebat incensum in sancto sanctorum.

R. Neg. conseq.; nam illa thuribula aurea, de quibus agit cap. XXV, non erant confecta, ut in eis incenderetur thymiamata, sed unice ad hoc inserviebant, ut in eis asservaretur tum thymiamata quod adolendum erat, tum thus quod panibus propositionis erat imponendum, ut colligi potest ex Levit. XXIV, 7. Adeoque thuribulum, quo utebatur summus sacerdos in die expiationis, non erat aureum, sed æneum; uti ex verbis cap. XXVII, supra cit. satis evidens apparet.

Insuper quamvis concederetur, quod summus sacerdos in die expiationis aureo thuribulo usus fuisset; tamen inde nequaquam sequitur, illud semper fuisse in vel juxta sanctum sanctorum conservatum, uti de thuribulo aureo asserit Apostolus.

Inst. Verba Apost. verificari possunt, licet thuribulum aureum, quod sancto sanctorum inserviebat, alibi custodiretur, sicut vere dicere possum de templo aliquo, quod sit habens pretiosissima ornamenta, quamvis hæc non in templo, sed alibi asserventur.

R. Neg. assumpt., quia tunc recurrit difficultas, quam supra allegavimus prob. III; item ea etiam partim, quam dedimus prob. V: adeoque nec hoc modo omnis difficultas evanescere potest.

Denique Paulus non agit de thuribulo aureo, quod mere erat ad usum vel cultum sancti sanctorum, sed de eo quod erat in vel saltem juxta sanctum sanctorum, cum enumeret omnia ornamenta, quæ in utroque isto loco a parte rei reperiebantur. Vide plura infra Quæst. seq., prob. IV et V.

Obj. III. Summus sacerdos in die expiationis, antequam ingrederetur in sanctum sanctorum, debebat de prunis altaris incensi thuribulo imponere, ut dici-

tur Levit. XVI, 12: ergo altare non erat idem cum thuribulo.

R. Neg. ant.; nam in altari incensi non erat ignis, et consequenter nec prunæ; siquidem ignis per continuam appositionem lignorum alebatur et conservabatur in altari holocaustorum, ex quo ad incendendum thymiamata summus sacerdos prunas thuribulo imponebat, et ad altare thymiamatis deferebat: ac proinde Levit. XVI non agitur de altari thymiamatis, sed holocausti.

Obj. IV. S. Th. Lect. I in cap. IX ad Heb. agens de præfato thuribulo, docet quod in sancto sanctorum summus sacerdos semel in anno intraret. *Et tunc*, inquit, *implebat thuribulum illud thymiamate, ita quod ex fumo ascenderet nebula, quæ operiret sancta sanctorum; ne possent videri ab his qui extra erant*. Ergo juxta D. Th. pontifex in die expiationis utebatur aliquo particulari thuribulo, distincto ab altari thymiamatis.

R. Neg. conseq., quia S. Th. ibidem non dicit, quod illud thuribulum fuerit distinctum ab altari thymiamatis, sed tantum simpliciter docet, quod in illo thuribulo summus sacerdos in die expiationis cremaret thymiamata, abstrahendo scilicet a præsentia quæstione, an nempe istud thuribulum esset idem cum altari thymiamatis, necne; siquidem totus textus ita habet: *Addit Apostolus quartum* (videlicet ornamentum) *thuribulum aureum, de quo dicunt aliqui quod erat altare inter sancta, ut dictum est. In sancta, quod erat exterius, introibat sacerdos omni die, ad expiationem mysteriorum, sed in sancta sanctorum sacerdos summus semel in anno cum sanguine, et tunc implebat thuribulum illud, etc.*

QUESTIO II.— AN ALTARE THYMIAMATIS FUERIT CONSTITUTUM IN SANCTO SANCTORUM, AN AUTEM IN SANCTO TANTUM.

Celeberrima est hæc difficultas; cum enim hic *ÿ. 6* dicatur: *Ponesque altare contra velum, quod ante arcam pendet*. Id est, quod separat sanctum a sancto sanctorum: hinc duplex orta est auctororum sententia, quia duobus modis contra velum altare illud poni potuit, scilicet ut vel esset intra velum, vel extra velum. Recentiores interpretes communiter sustinent, fuisse constitutum extra velum in sancto. Interim his non obstantibus,

R. et dico: Verisimilius est, quod altare thymiamatis fuerit positum intra velum, et consequenter constitutum in sancto sanctorum.

Prob. I. Quia ita sentit Origenes Hom. 8 in Exod. et Hom. 9 in Levit.; item Oecumenius, et S. Chrysost. Hom. in Natalem Christi ita scribens: *Extra velum erat candelabrum, et mensa, et altare æneum, ad sacrificia et holocaustomata excipienda: INTRA VELUM vero arca... et ALTARE aureum; non illud sacrificiorum et holocaustorum, sed SOLIUS SUFFIMENTI*. Unde et ulterius ibidem addit, quod *Zachariæ versanti intra sancta sanctorum angelus lætum attulerit nuntium de partu futuro S. Joannis*. (Lucæ I).